

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

### **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1753**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](#)

Tab.  
XXXI.

decim crucigerorum notans , quod genus monetæ apud Austriacos hodieque in usu , ob pretium suum intrinsecum , longissimo iam tempore septendecim crucigeris commutari solet. *M. S. B. ar.*

## XVII.

EIAM hic grossus eosdem cum præcedentibus titulos præfert. At in imo adversæ nota valoris trium crucigerorum conspicitur , & in aversa tria scuta , in triangulo posita , comparent , quorum prius fasciam *Austriacam* , reliqua duo insignia Episcopatus *Olomucensis* exhibent , de quibus sermo erit , cum de monumento eius sepulchrali agendum , ut iam alibi præmonimus (a). *M. S. B. ar.*

Cum tot dignitatibus ac beneficiis Ecclesiasticis , quibus ius cudendæ monetæ non derat , ornatus fuerit Archidux , aut easdem potius ornaverit ipse: nummos tamen hactenus haud alios , quam ad Episcopatum Olomucensem ac Abbatiam Murbacensem ac Luderensem pertinentes , detegere potuimus. Quare operæ pretium duximus , non nullos alias ex *recens-aperto Grossorum scrinio* , quanquam a præcedentibus haud multum , excepto grosso Murbensi , discrepantes , subiungere ; tum & nonnullos addere minutiores.

## XVIII.

Discrepat hic nummus a præcedenti in eo , quod in aversa solemnis ille titulus : *Regiaque capella Bohemicæ comes omissus* sit , notamque chronologicam

*TOM. II. P. II.*

(a) Tom. I. disserr. vi. §. XIII. p. 135.

1652. præferat. *G. C. locul. 2. FERDI-*  
*tab. VIII. n. 68. p. 122. NANDI*  
*II. IMP.*

*PROLES.*

## XIX.

Hic nummus ab eo , quem num. xv. descripsimus , fere magnitudine atque metallo solum discernitur. Nota quoque valoris solito loco consistit. *Ibid. suppl. I. tab. XVII. n. 173. p. 169.*

## XX.

Neque hic a num. XIV. multum abludit , sola ferme magnitudine & metallo exceptis. Voces quoque magis abbreviatæ sunt , atque præter solitam valoris notam , numeri Arabici annum 1660. denotant. In imo aversæ pentagonum videatur esse signum monetarii. *Ibid. n. 174.*

## XXI.

Epigraphe atque effigies adversæ num. XII. ferme respondent. In aversa duo scuta coniuncta. In priori , galero Archiducali tecto , fascia *Austria* , in altero tesseræ *Murbacen-sis* & *Luderensis* repræsentantur. Additur in ambitu epigraphe : *s. anctus LEODEGARI. us PATro-nus MVR bacensis ET LVDER ensis.*

Hunc *Sanctum* in unciali quodam , regnante FERDINANDO II. percusso , vidimus supra tab. XXIX. n. LXXIV. quemadmodum & de tesseris scutariis illustrium harum Ordinis nostri Benedictini Abbatiarum alias actum fuit. *Ibid. n. 172. p. 168.*

## XXII.

† *LEOPOLD. us GVIL. ielmuſ D:ei*  
*g: ratia AR: chi D: ux A. uſtria:*  
*E e ad*

FERDI-  
NANDI  
II. IMP.  
PROLES.

adduntur duo clavi, in decus-  
sim errecti, monetarii signum.  
Protome Archiducis ut in præ-  
cedentibus, omissa cruce pecto-  
rali. In imo nota valoris I.

Sequuntur in aversa solito  
more reliqui tituli: EPISCOPVS:  
OLOMVC: ensis PRINC: eps 53.  
Id est 1653. Tres parvulae ut  
num. XVII. M. S. B. ar.

Extant in museo nostro si-  
miles duo alii, alter de anno  
1651. cum parvulis rotundis,  
alter de anno 56. cum solito ti-  
tulo: RE. giaeque CA. pelle BO: he-  
mica COM. es.

### MARIAE ANNÆ NUMMI. XXIII.

MARIA. ZA AE. tatis SVE 27.  
Protome Archiducis, margari-  
tis & crispo focali ornatae, ca-  
pite vitta & pileo obtecto,  
ad dextram converso.

Auctoritas Cl. HERÆI nos  
movet, ut nummi huius ty-  
pum pro effigie MARIAE ANNÆ  
*Austriaca*, FERDINANDI II. Imp.  
filiæ, habeamus; is enim de  
successione Serenissimæ Domus  
Bavaricæ agens, eundem suas in  
tabulas retulit, de quibus in  
præfatione partis I. huius num-  
mothecæ differuimus. Nonnulla  
quidem in eo continentur,  
quæ animadversionem criti-  
cam merentur, cuiusmodi sunt:  
quod nomen ANNÆ, nomini  
MARIAE additum non sit: item  
quod annus ætatis 27. non sa-  
tis bene respondeat Archiduci  
Virgini; siquidem MARIA AN-  
NA nostra ætatis suæ anno 27.  
iam biennio iuncta erat MAXI-

(a) Iconum tom. I. p. 222.

MILIANO Bavariae Duci; sed ni-  
hil hic de titulis ac nomine Ba-  
varia, nec hilum quidem. Ve-  
rum cum certior & extra con-  
troversiam positus nummus de  
hac Principe nobis non suppetit:  
nummus *Heraeanus* forte salvari  
poterit dicendo: siglas illas z  
& a, in epigraphe post nomen  
MARIA positas, alteram pro  
Ec. alteram pro *Austriaca* le-  
gendam esse; quæ quidem le-  
ctio eiusmodi litterarum in num-  
mis Austriacis haud infrequens  
est. Tum vero coniectandum,  
numerum Arabicum 5. altera-  
tum, & in numerum 7. mu-  
tatum esse. Sed nos hanc sen-  
tentiam non tuemur: rei ar-  
bitrium penes lectorem esto.  
T. H.

### XXIV.

Innitimur hic quoque in fi-  
de HERÆI, qui iconum hunc  
nummum, licet omni inscriptio-  
ne ac titulo carentem, in suc-  
cessione Domus Bavariae tribuit  
MAXIMILIANO Electori, mari-  
to prædictæ MARIAE ANNÆ Ar-  
chiducis. Quin immo habitus  
oris sic satis bene congruit cum  
effigie, quam apud Illustr. KHE-  
VENHILLERUM habemus (a). a

Sistitur hic protome Electo-  
ris armata, & crispo focali la-  
to ornata, capite nudo, acci-  
fis crinibus, sinistrorum verso.

Natus erat MAXIMILIANUS  
anno 1573. Primam uxorem  
duxit 1595. ELISABETHAM *Lo-*  
*tharingicam*, cum qua ipsos XI.  
annos, ad annum nempe 1635.  
sterile matrimonium habuit. Se-  
cundis nuptiis, eodem anno cele-  
bratis

Tab.  
XXXI. bratis, MARIAM ANNAM *Au-*  
*striacam*, de qua supra egimus,  
sibi iunxit, ex qua liberos sustu-  
lit: demum senio confectus 78.  
etatis suæ anno vitam dimisit  
anno Christi 1651. *Ibid.*

**CÆCILIE RENATÆ  
NUMMUS  
XXV.**

VLADISLAVS IV. POL. onia  
SVEC. ia Q. ue REX. ET CÆCI-  
LIA RENATA ARCHIDUX AUSTR.  
ia SPONSI AUGUSTISSMI. Hæc  
in margine exteriori, maiusculis  
litteris scripta, leguntur: in in-  
teriori vero sequens distichon  
habes:

HUNC GENUIT BOREAS HÆC NO-  
MEN DUCIT AB AUSTRO.

**REGIBUS HIS MUNDI PLAUDIT UTRUMQUE LATUS.**

Ambo sponsi, integro corporis habitu in pedes erecti, supra mensam iungunt dextras, quibus imminet in specie columbae SPIRITUS SANCTUS, radios suos demittens. Superne quatuor Angeli musicam exercent: ad latera vero hinc inde duo genii alati sponso & sponsæ lauream quasi imponunt.

In epigraphe aversæ binis FERDI-  
lineis duo leguntur disticha, præ-II. Imp.  
missio, ut in antica, parergo: NANDI  
PROLES.

**ASPICE QUAM FAUSTO COEANT**

IN FOEDERA NEXU-

SARMATA LIBERTAS AU-  
STRIACUM IMPERIUM.

DI RERUM DOMINI FACIANT  
PLACIDEQUE DIUQUE,  
GAUDEAT UT TANTIS ISTUD  
ET ILLA BONIS.

Ex duobus cordibus , sibi  
invicem iunctis ( quorum alte-  
rum a dextris aquilam *Polonia*,  
a sinistris alterum fasciam *Au-  
striae* repræsentat ) fumus ascen-  
dens, per coronam transit, quam  
sustinent MARS & PALLAS, pro  
symbolo *Polonica libertatis &*  
*Austriace dominationis*: ille pri-  
mo Romanorum more armatus  
& galea cristata, nec non pallio  
ornatus, dextra nudum gladium  
bellatorium tenet ; hæc alte suc-  
cincta, cristata pariter galea con-  
spicua , fin. hastæ puræ innititur.  
Supernæ radii e nubibus demissi.  
Nummum nuptiale esse nemo  
non videt. *M. Imp. ar. pond.*  
2. unc. 85 sem.



Tab.  
XXXII  
seq.

**F**ERDINANDUS eius nominis III. inter Imperatores, ex Aug. Habsburgo-Austriaca gente assumptos, tertius decimus ( 23. ) vitalem hausit auram Græcii an. 1608. die XIII. Iulii. Is amplissimis naturæ & gratiæ donis instructus ( 3.6.21.22. ) paternarum virtutum imitator ( 6. ), templorum ac cultus Divini instaurator ( 7. ) audit.

Tom. III. P. II.

Fe 2

Ju-

FERDI-  
NANDUS  
III. Imp.

Iuventute optimarum disciplinarum studio, atque exercitationibus Principe dignis, exacta, annos natus duodeviginti Hungaricus Rex datus, atque anno 1625. die XIII. Decemb. solitis ceremoniis, presentibus Augustissimis parentibus (21.) inauguratus fuit (1. 2.): corona quoque Bohemica biennio post pari solemnitate redimitus (3. - 6.).

Tab.  
XXXII.  
seqq.

Cæso WALLENSTEINIO, Fridlandiae Duce, Cæfareis exercitibus summo cum imperio præfectus, expugnata feliciter Ratisbona, Suecos ad Nordlingam memorabili prælio superavit (9.). Exinde Rex Romanorum Ratisbonæ an. 1636. die XXII. Decembris electus, mox ibidem tricesimo eiusdem mensis diadema consueta pompa accepit (11. 12.) patremque non multo post in Imperio excipiens, bellum Sueco-Gallicum vario Marte ad annum usque 1648. continuavit, quo demum alma pax, ut ut Ecclesiæ haud proficua (51.), ardenterissimis votis diu ante (50.) sed frustra expetita, inter partes litigantes, tum Osnabrugæ cum Suecis, tum Monasterii cum Gallis die 24. & 25. Octobris (51. 53.) plaudentibus vel pueris (59.) sancta (52. 53.) atque decreta deinde, quod multum interea operæ exposcebat (54.) eiusdem executione (56. 57.) anno 1650 firmata fuit.

Pacata itaque Germania atque innumerus calamitatibus, quæ fervente bello atrocissimo perpessa fuit, erepta, cetera Principatus eius pacifica fuere. Hanc vero publicam quietem dum omni conatu tueri, acceptaque personare vulnera studet (60.): morte oppressus, iv. Nonas Aprilis anni 1657. ad plures abiit, cum triennio ante, id est anno 1654. filium sibi cognominem, iamque coronatum Romanorum Regem, in flore ætatis defunctum, acerbissimo cum luctu extulisset (34.)

Symbolum, quo factus Hungariæ & Bohemiæ Rex, (1. 2. 4. 5.) nec non & Imperator (11. 13. - 15.) gentes, suæ curæ commissas, PIETATE ET IUSTITIA gubernaturum se publice testatus est, nullo non tempore sanctissime, atque tum etiam adimplesse populo visus est, quando pacem orbi conciliavit. (58.).

Coniugio ter se obstrinxit: primo cum MARIA, PHILIPPI III. Hispaniarum Regis filia (8.), in hanc lucem anno 1606. die XVIII. Augusti (10.) edita. Haec ei quatuor filios, totidemque filias cum genuisset, anno 1646. ad plures abiit.

Eodem adhuc anno secundis votis MARIAM LEOPOLDINAM, LEOPOLDI V. Archiducis Austriæ filiam, sibi iunxit (18.) sed quæ anno infecuto CAROLUM JOSEPHUM enixa, immatura morte sublata est.

Tertia denique uxor ELEONORA, CAROLI Ducis Mantuæ filia (19. 20. 24. 31.) thorum eius anno 1651. die xxx. Aprilis concendit, atque anno 1656. Regina Bohemiæ coronata fuit (19.):